volt me sequi: deneget semetipsum
et tollat crucem suam: et sequatur
me. Qui enim voluerit animam suam
salvam facere: perdet eam. Qui autem perdiderit
animam suam propter me et evangelium:
salvam faciet eam. Quid enim proderit
homini si lucretur totum mundum: et
detrimentum anime sue faciat. Aut quam
dabit homo commutacionem pro anima
sua. Qui enim me confessus fuerit et
verba mea in generacione ista adul
tera et peccatrice: et filius hominis
confitebitur eum: cum venerit in gloria
patris sui cum angelis suis. IX
Et dicebat illis. Amen dico vo
bis: quia sunt quidam de hic stan
tibus qui non gustabunt mortem: donec
videant regnum dei veniens in virtute
Et post dies sex assumpsit ihesus petrum
et iacobum et iohannem: et ducit illos
in montem excelsum seorsum solos:
et transfiguratus est coram ipsis. Et
vestimenta eius facta sunt splendentia
et candida nimis velut nix: qualia
fullo non potest super terram candida facere
Et apparuit illis helyas cum moy
se: et erant loquentes cum ihesu. Et res
pondens petrus ait ihesu. Rabbi. bo
num est hic nos esse: faciamus hic
tria tabernacula. Tibi unum: moysi
unum: et helye unum. Non enim sciebat
quid diceret. Erant enim timore exterriti
Et facta est nubes obumbrans eos.
Et venit vox de nube dicens. Hic est
filius meus carissimus: illum au
dite. Et statim circumspicientes ne
minem amplius viderunt: nisi ihe
sum tantum secum. Et descendentibus
illis de monte: precepit illis ne cui
que vidissent narrarent: nisi cum
filius hominis a mortuis resurrexerit
Et verbum continuerunt apud se: con
quirentes quid esset cum a mortuis
resurrexerit. Et interrogabant eum dicen
tes. Quid ergo dicunt pharisei et scribe:
quia helyam oportet venire pri
mum: Qui respondens ait illis. Helyas
cum venerit: primo restituet omnia. Et quo
modo scriptum est in filium hominis: ut
multa patiatur et contempnatur
Sed dico vobis: quia et helyas venit
et fecerunt illi quecumque voluerunt: sic
scriptum est de eo. Et veniens ad disci
pulos suos vidit turbam magnam
circa eos: et scribas conquirentes cum
illis. Et confestim omnis populus videns
ihesum stupefactus est: et expaverunt
et accurrentes salutabant eum. Et in
terrogavit eos. Quid inter vos con
quiritis: Et respondens unus de turba:
dixit. Magister: attuli filium meum
ad te: habentem spiritum mutum. Qui ubi
cumque eum apprehenderit: allidit illum
et spumat et stridet dentibus: et ares
cit. Et dixi discipulis tuis ut eicerent
illum: et non potuerunt. Qui respondens eis
dixit. O generacio incredula:

me. Et attulerunt eum. Et cum vidisset
illum: statim spiritus conturbavit illum
Et elisus in terram volutabatur spu
mans. Et interrogavit patrem eius.
Quantum temporis est ex quo ei hoc acci
dit: At ille ait. Ab infantia. Et frequen
ter eum et in ignem et in aquam misit:
ut eum perderet. Sed si quid potes adiu
va nos: misertus nostri. Ihesus autem
ait illi. Si potes credere: omnia possibi
lia sunt credenti. Et continuo exclamans
pater pueri cum lacrimis aiebat. Cre
do domine. Adiuva incredulitatem meam
Et cum videret ihesus concurrentem tur
bam: comminatus est spiritui immundo:
dicens illi. Surge et mute spiritus: ego

quousque apud vos ero quamdiu patiar vos? afferte illum ad me

N° 924